



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

510. An possit revocare licentiam exercendi pontificalia concessam alicui ab Episcopo defuncto, & si eam non revocavit, possit Antistes pergere ibidem exercere pontificalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

5. Atque ex his jam inferri videtur non prohibere Tridentinum ordinari subditum non arctatum intra primum annum illius vacantis sedis, ubi is non eget dimissorias, uti contingere videtur in hoc casu: dum designatus in vicarium capituli est Episcopus, sive dum Episcopus aliquis titularis deputaretur in vicarium capituli, eum enim vicarii, & non capituli sit dare dimissorias (saltem dum hanc quoque potestatem Capitulum transtulit in vicarium suum) & nemo dare possit dimissorias ad seipsum, seu licentiam ut quis à seipso ordinari possit, non egebit subditi illi ullis dimissorias. Tridentinum verò solum prohibet tunc ordinari subditum in vim dimissoriarum acceptarum à Capitulo.

6. Inferri videtur ulterius, neque prohibere Tridentinum ordinari subditos non arctatos talis diocesis, in qua vacat sedes ab Episcopo ibidem commorante & assumpto ad exercendum ibidem pontificalia, etiam si vicarius Capituli non sit; quia nec respectu talis Episcopi subditi Capituli sede vacante egent dimissorialibus. Quod facit, quod ex Themudo *loc. cit. decis. 88. n. 9.* habet Diana *loc. cit. resol. 72.* quòd cum talis Episcopus de Anel, ut vocant, seu nullatenis nullam in actu habeat propriam diocesim, ista diocesis, in qua moratur, & in qua assumptus, & institutus est (intellige, sive ab Episcopo, sive à Capitulo sede vacante) ad exercendum ibidem absolute, generaliter, & sine limitatione Pontificalia, sit certo modo ipsius diocesis; adeoque dici non possit, quòd exerceat Pontificalia in diocesi aliena sine licentia. Et sic absolute tenent Diana *loc. cit. resol. 41.* hisce expressis; etiam Capitulum sede vacante, vel ejus vicarius non possit intra annum subditis suis concedere dimissorias, poterit tamen interim intra eundem annum per alium Episcopum pontificalia exercentem ordinare diocesanos suos, Atque ita fuisse resolutum à S. Congreg. refertur. Idem tradit Barbosa *loc. cit. n. 123.* ubi poterit insuper Capitulum præfato anno durante concedere Episcopo extero exercitium Pontificalium, & ordinationem propriorum subditorum sedis vacantis, pro quo citat uterque, nempe Diana & Barbosa. *Navar. cons. 27. de tempor. ordin. Forat. de ordin. c. 5. n. 7.* Molfet. *in sum. tract. 2. c. 2. n. 28.* Marchin. *de sacram. ordin. tr. 1. p. 6. c. 3. n. 16.* & Barbosa. insuper Henricus, *in sum. l. 10. c. 22. §. 1.* Quarant. *in sum. bull. v. capit. sed. vac. q. 11.* Marc. Anton. Genuent. *in pr. Archiep. Neapol. c. 87. n. 33.* Pialec *pr. episc. p. 1. c. 1. n. 13.*

7. Unde jam minus coherentur videtur Barbosa locutus, dum *loc. cit. n. 121.* dixerat: colligitur, non posse Capitulum dicto anno durante dare licentiam Episcopo commoranti in civitate, vel diocesi, ut ordinet regulares etiam pravio examine per ipsum vicarium facto, ut tenet Rague. *de voce can. q. 39. n. 4.* sanè coherentius dictis sentit Themudo *cit. decis. 89.* & seq. apud Diana *loc. cit. resol. 73.* dum absolute affirmat, posse Capitulum sede vacante intra primum annum dare licentiam alicui Episcopo (intellige, apud se commoranti, & assumpto ad exercendum pontificalia) conferendi ordines regularibus sine diocesi. sequitur enim id manifestè, quia & à potiore, ex dictis. si enim or-

B. Laurentii Tract. III. De Capit. sed. vac.

dinari possint à tali Episcopo intra illum annum subditi seculares non indigentes dimissorias; quin & ad hoc capitulum illis facere licentiam, cur non etiam regulares? & cur non potius regulares? cum Tridentinum vetando dari intra primum annum dimissorias, aut licentiam ordinandi clericis subditis suis, non videatur comprehendere religiosos; utpote qui, ut Themudo apud Diana *loc. cit.* & alii passim, nomine clericorum (intellige in odiosis, quale quid est ista denegatio dimissoriarum, & licentiarum) non veniant, quòd ipsum indicant AA. & inter reliquos Henricus *loc. cit. c. 22. n. 3.* dum inquit: Capitulum sede vacante non potest secularibus clericis dare reverendas &c. hoc enim loquendi modo satis ostendit, prohibitionem illam solum intelligi de clericis secularibus, & non de religiosis. Neque etiam religiosi, etiam sede plenà, dum recipere volunt ordines ab Episcopo alterius diocesis, dimissorias, non acceptas ab Episcopo, sed à Præfato suo deserunt, multòque ergò minus egent his ad hoc acceptis à Capitulo sede vacante. Adde, quòd religiosi non sint propriè subditi Capituli sedis vacantis; dimissoria autem non deatur nisi subdito, ut vadat ad alienum Episcopum pro suscipiendis Ordinibus, Sed & licet sint subditi (intellige, etiam exempti alias à jurisdictione Episcopi) & subjei Episcopo quòd ad recipiendos Ordines, quòd cogitandum monet Diana *loc. cit. resol. 73. in fine* ex Barbosa, *de canonis. c. 48. n. 121.* adhuc non obstat; quia juxta dicta & subditi etiam absolute quo ad omnia jurisdictioni Episcopali, & consequenter etiam Capituli sede vacante, possunt à tali Episcopo ordinari, & his concedi licentia ordinis suscipiendi intra illud tempus. Atque pro hac sententia, quòd Capitulum sede vacante intra annum dare possit licentiam alicui Episcopo ordinandi regulares, Diana *in fine resol. 73.* citat Portel. *Respons. mor. tom. 2. cas. 71.*

Quæstio 510. An Capitulum sede vacante possit revocare licentiam exercendi pontificalia, & conferendi Ordines concessam alicui Antistiti ab Episcopo defuncto: & si eam non revocaverit, possit Antistes pergere ibidem exercere Pontificalia, & ordinare?

1. **R**esp. ad primum affirmative. Cum enim Capitulum totam jurisdictionem habeat ordinariam Episcopi mortui, & Episcopus mortuus in hac vita poterat revocare talem licentiam, etiam capitulum mortuo Episcopo poterit eam revocare. Diana *loc. cit. resol. 72.* & apud illum Themudo *loc. cit. decis. 88. n. 9.* Et patet hoc ipsum ex eo, quòd Capitulum removeat Vicarium generalem à defuncto Episcopo constitutum. Ubi tamen datus fuisset talis Episcopus titularis ad exercendum in diocesi aliqua, v.g. ob Episcopi minorem ætatem, vel non consecrationem, simpliciter pontificalia, non poterit dein tali Episcopo non consecrato mortuo Capitulum sede vacante illum impedire, aut amovere ab exercendis pontificalibus. Idem videtur, dum Metropolitanus, dum is fortè in ca-

R

su,

su, quod potuit, Episcopum talem titulare deputavit pro tali diocesi, ad exercendum ibidem in defectum Episcopi pontificalia. Quemadmodum nec remove potest Capitulum Vicarium suum capitulare, ejusve licentiam restringere ubi is datus ei fuisset à Metropolitano juxta dicenda inferius.

2. Resp. ad secundum quoque affirmativè. Dian. *loc. cit.* cum eodem Themudo; gratia enim, & licentia præsertim facta absolute & sine limitatione temporis, non expirat morte concedentis. Fermosinus, *tract. de capit. sed. vac. q. 20. n. 1.* Dian. & Themudo. *l. cit.* citantes Sanch. *de matrim. l. 8. d. 28. n. 64.* & 83, ubi etiam illud exemplificat datâ licentiâ Petro ad Ordines, quæ non expirat mortuo, vel etiam translato Episcopo ad alium Episcopatum. Item licentiâ seu dimissoriis datis à Capitulo sede vacante ad ordines tempore, quo poterat dare, quæ non expirat cum introitu novi Episcopi.

3. Porro illud hic notandum cum Diana, quòd hæc doctrina de continuatione exercitii conferendi ordines facilius applicetur Episcopo titulari, seu de Anel assumpto pro tali diocesi à defuncto Episcopo, cui serviebat ad exercenda ibidem generaliter Pontificalia juxta dicta *quæst. preced.* Poterit proinde jam talis Episcopus non solum à Papa aut Metropolitano, sed & ab Episcopo defuncto legitime, absolute, & generaliter constitutus ad exercendum ibidem pontificalia (saltem Capitulo non contradicente) pergere, sicut ante conferre ordines subditis non arctatis intra primum annum vacantia; cum licentia illa absolute ei concessa illi non adimatur, etiam pro primo illo anno, à Capitulo, utpote non contradicente. Nec etiam in casibus positis adimi ab eo possit, nec etiam Capitulum dum posset, teneatur adimere illi, seu suspendere licentiam illam pro primo illo anno quòd ad subditos non arctatos; hoc enim Capitulo à Concilio non mandatur, sed solum, & ad summum ei prohibetur, ne facultatem illam ordinandi prius non habitam à tali Episcopo ei concedat pro primo illo anno quòd ad non arctatos. Dico ad summum; quia ut dictum *quæst. preced.* *ad ordinandi* intelligendum non active, sed passive, ut idem significet, ac ordines suscipiendi.

Questio 511. An Capitulum sede vacante intra primum annum vacantia possit non arctatis subditis suis dare literas testimoniales ad suscipiendos ordines?

Resp. Potest Capitulum, etiam intra primum annum subdito suo, non arctato, dum is à Pontifice ejusve Nuncio facultatem, seu dimissorias habet, ut à quocunque Episcopo externo ordinari valeat, concedere in ordine ad suscipiendos ordines has literas testimoniales de vita, & moribus, & idoneitate illius, pro ut eas exigit Trident. *sess. 23. c. 8.* his verbis: *unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur, quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Ita tenent Pignat. *tom. 3. cons. 8. n. 4.* Fermosinus *rr. de Capit. sed. vac. q. 20. n. 12.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 39.* Dian. *p. 8. rr. 4. resol. 42.* Barbof. *jur. eccles. l. 1. n. 122.* citans Sayr. *in florib. decis. decis. 21. tit. de tempor. ordin. Bonacin. de sa-*

cram. d. 8. q. unic. p. 4. n. 24. Molin. *de Just. tom. 6. rr. 5. d. 11. n. 14.* Monet. *de commut. ult. volunt. c. 10. n. 183.* Vulpeium *in pr. Judic. c. 44. n. 2.* Ciarl. *controv. forens. l. 1. c. 46. n. 12.* Marchin. *de sacram. ord. tract. 1. p. 6. c. 3. n. 17.* & 18. &c. contra Garciam *de benef. p. 5. c. 7. n. 115.* id negantem hisce expressis: *quamvis aliàs quis possit promoveri cum literis dimissoriis legati de latere, tamen id intelligendum, modò ejus probitas, & mores testimonio sui Ordinarii commendentur, ad quem effectum non dicitur Ordinarius intra annum Capitulum, seu ejus vicarius sede vacante respectu eorum, qui non sunt arctati, ut per Navar. & Rodriq. Verùm *quæst. ante hanc penult.* ostensum contrarium, nempe venire etiam Capitulum in ordine ad hoc nomine Ordinarii. Et sunt hæc literæ testimoniales longe quid diversum ab iis, quæ dimissoriis dicuntur, ut videre est apud Fagn. *in c. significasti de off. archid. n. 2.**

Questio 412. An & qualiter Capitulum sede vacante concedere possit dimissorias?

1. **R**esp. primò, potest Capitulum cathedrale sede vacante, vel ejus vicarius spectato jure communi absque limitatione temporis, ad eoque & intra primum annum vacantia subditis suis, sive hi arctati sint, sive non, concedere literas dimissorias, id est, in quibus non solum commendatur ordinandus, eique de moribus & vita testimonium redditur; sed & conceditur facultas suscipiendi ordines ab Episcopo alieno, quæ etiam ab aliquibus, ut videre est apud Fagn. *loc. cit.* reverendè dicuntur, uti & dimissoriæ ac formatæ dicuntur à Nicæna Synodo relata *in c. 7. dist. 73.* Ita constat *ex c. nullus. de temp. ordinat. in 6. Barbof. jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 114.* Pirh. *ad tit. eund. n. 58.* Ventrigl. *loc. cit. n. 30.* Azor *l. 3. c. 37. q. 17.* cum communi. Unde idem adhuc poterit capitulum, in locis, in quibus Trident. non est receptum; quia sic dispositum jure commune non immutatum per Tridentinum ob non receptionem illius. Ventrigl. *loc. cit. n. 45.* citans Sanch. *opusc. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 37.* Thesaurum *in pr. eccles. p. 2. c. 19. vers. ampliã.* qui & ipse citat alios.

2. Resp. secundò hodie dum tamen intra annum sedis vacantis eas dare nequit, sub nullius etiam privilegii aut consuetudinis prætextu, nisi solis arctatis ratione beneficii recepti, aut recipiendi. Ita enim expressè disponit Tridentinum, *sess. 7. c. 10.* & *sess. 23. c. 10.* Ventrigl. *loc. cit. n. 30.* Dian. *loc. cit. resol. 41.* Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. n. 60.* Garc. *de benef. p. 5. c. 7. n. 91.* Barbof. *loc. cit.* citans quamplurimos.

3. Ampliatur hoc ipsum primò, ut id Capitulum non liceat, etiam si Capitulum habeat territorium distinctum, & exemptum ob immemorabilem possessionem, in quo ipsi canonici sint iudices. Pirh. *loc. cit.* Ventrigl. *n. 34.* Barbof. *loc. cit. n. 119.* citantes Riccium *in decis. curia Archiep. Neapol. p. 4. decis. 185.* Quarant. *v. capit. sed. vac. vers. 14.* qui testetur, ità à S. Congreg. rescriptum Capitulum Salmantino.

4. Am-